

Petrus de Vinea

*Ep. III 25 (Inter alia  
deuotionis insigna...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 25 (Inter alia  
deuotionis insigna...)*

1208-1210?

Pisanis, commendans eos, quod processerunt contra occisores officialis sui, promittendo suam gratiam.

1. Inter alia deuotionis insigna, quibus erga progenitores nostros et nos probabiliter hactenus claruistis, illud specialiter nostris adhesit affectibus et satis est suauiter memorialibus nostris impressum, quod, sicut ueridica nuper relatione comperimus, excrescente feruore fidei, quam in uos pia mater radicaui, antiquitas et grata nouitas solidauit, ne de morte... magistri..., secretarii regni nostri Syciliae, honoris nostri fastigiis rubigo remaneret iniuriae, seu nobis infamiae nubila superessent, ad sumendam de ipsius interfectoribus ultionem, deuotio uestra non minus audacter quam unanimiter assurrexit. 2. Ex quo sinceritatis uestrae, dum nobis in ipsius operis exhibitione complacuit, commendamus affectum, sed ex eo precipue gratum id gerimus, quod conscientiae purae constantiam, quam de fide uestra iam dudum ex clara parentum nostrorum legatione concepimus, firmam semper et inuiolabilem inuenimus. 3. Propter quod nostra sic exinde gratificata maiestas ad uestri fauoris gratiam nos inuitat hylariter, ut, si umquam retroactis temporibus in predecessoribus nostris beneuolentiae plenitudinem inuenisse recolitis, apud nos pinguiorem semper, de bono in melius, gratiam inuenire, de cetero firmiter confidatis.